



COMMENTATIONEM ACADEMICAM

DE

1748 15
17
DVPLICIS PRVDENTIAE

QVA REGNVN ADMINISTRATVR

OPTIMO NECESSARIOQVE

N E X V

ERVDITORVM EXAMINI

AD DIEM

SEPTEMBR. A. R. S. M DCC XXXXVIII

IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

SVBMITTVNT

P R A E S E S

M. IO. CHRISTIAN. SONNTAG

GLAVCHA - SCHOENBURG.

ET

R E S P O N D E N S

IO. HENRICVS OSWALD

BVDISSA - LVSAT.

V I T E M B E R G A E

EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICHIVS



UNIVERSITÄT SACHSEN-ANHALT

LEHRSTUHL FÜR ANATOMIE

UND VERGLEICHENDE ANATOMIE

1874

VERGLEICHENDE ANATOMIE

VON DR. MED. JOHANNES WAGNER

LEIPZIG, VERLAG VON B. G. TEUBNER





§. I



quantus est, quo illi, quos, prouida summi numinis cura, regnorum administratores, constituit, inter mortales reliquos eminent, maiestatis splendor, tantus est, qui ab his, illis, omnium gentium more, exhibetur, singularis plane cultus. Iustissimae sunt, quas quemcunque ipsa, a peruersis praeiudiciis, ratio libera edocet, cultus eiusmodi causae. Maximi grauißimique scilicet momenti negotia sistit illa, eorum, qui in regnorum administratione praeclare uersantur. Quae, quot et quanta sint, uel inde patet, quia ex XENOPHONTIS ^(a) sententia sit, πάντων τῶν ἄλλων ζῶων βασιον, ἢ ἀνδρῶπων ἀρχεῖν, omnibus animalibus facilius, quam hominibus imperitare. Quare etiam reges et principes, haud consulte agere dicuntur,

A 2

tur,

(a) Cyropæd. Lib. I, conf. b. l. et seqq. IVST. LIPS. Politic. Lib. III. Cap. II et III.

tur, si solam, qua pollent, uim, in regendis subditis, uel spreta prorsus, uel neglecta plerumque prudentia, adhibent; quae *Φρονησις* tamen, uti censet ARISTOTELES ^(b) *αρχοντος ιδιος αρετη μονη*, imperantis propria uirtus unica, esse deberet. Secundum enim illud, non insolens EVRIPIDIS ^(c) effatum, *σοφον εν βουλευμα τας πολλας χειρας νικα*, mens una sapiens, plurium uincit manus.

§. II

Verum uim uero, magis adhuc, quot et quanta sint regum, seu principum, negotia, unicuique ponderanti, unius, sapientissimi quoque, hominis prudentiam, ad ea perficienda, haudquaquam sufficere, sed principem, prudentibus, aliorum sapientum, consiliis, in quorum diiudicatione, atque delectu singularis pariter conspicua sit oportet, prudentia, opus omnino habere, patefit.

§. III

Ex allata hac praeuia meditatione, quanam, tractandi et titulo huius commentationis inscripti thematis, sit ratio, nemo non uidet. Ex eo enim, quod solum principis prudentiam, ad regnum rite administrandum, haud sufficere cogitarem, experientiamque simul consuleremus, statim colligebamus, non posse solum,

(b) *Politic. Lib. III, Cap. III.*

(c) *Stob. S. 52.*

lum, salua maiestate sua, sed oportere etiam regem, regni sui statum felicem reddere, cupientem, aliorum prudentia uti. Hinc de duplici, principis scilicet propria et ea, quam ab aliis accipit, prudentia, qua utraque regnum administratur, deque huius duplicis prudentiae optimo necessarioque nexu, cogitandi se praebuit occasio.

§. IV

Quaedam igitur de prudentia in genere, et de prudentia principis, aliorumque, quos in consilium uocat ille, in specie, quatenus huc spectant, dicenda, atque ipsi, de duplicis huius prudentiae optimo necessarioque nexu, demonstrationi, tamquam principia, conclusioni, sunt omnino praemittenda.

§. V

Omnes ac singuli homines, si liberarum suarum actionum rationes reddere debent atque etiam reddunt, easdem fere pronunciant. Quilibet enim, felicitatis suae causa, hoc uel illud egisse, dicit, seu eiusmodi saltem adducit rationem, quae ab illa tam procul haud abest, quin reduci commode possit; felicitatem innuunt omnes.

§. VI

Hinc ipsi, qui res, uti sunt, cognoscere non solet, sed cui, quoad nomina illas scire, sufficit, facile profecto accidit, ut cogitet, quasi omnes homines eundem

dem sibi propositum habeant actionum suarum finem ultimum; quasi omnes et singuli felicitatem quaerant.

§. VII

Sed egregie falluntur ita sentientes, uel se ipsos potius fallunt. Plurimos enim, qui, felicitatis suae causa, se agere profitentur, ignorare, in quo consistat felicitas, ille, qui ex notionibus diiudicare solet, res, deprehendit, ita ut in perniciem ruant, summam, pro felicitate, infelicitatem quaerant, adeoque diuersissimos longe humanarum actionum fines animaduertit.

§. VIII

Consistit autem felicitas, in constanti uoluptate, ex bonorum uere talium possessione, orta. Qua ex felicitatis notione, an cuiusdam actiones ipsam, tamquam finem, intendant, facillimo diiudicandum erit negotio. Haud enim iste, qui ob bona apparenter talia modo agit, constantem uoluptatem adeoque felicitatem acquirere sibi potest.

§. IX

Illud igitur, quod, paucissimos homines huic fini conuenienter agere, uidemus, non impedit, quo minus, omnium humanarum actionum legitimum finem ultimum, felicitatem, ut exinde gloria summi numinis appareat, ex praestantissimorum philosophorum mente, et ex ipsius Dei intentione, constituamus.

§. X

§. X

Solus autem prudens, qui habitu omnino pollet, finium et mediorum nexum perspicendi, et haec, ut illi obtineantur, adhibendi, qui habitus prudentia uocatur, non perspecta solum habet bona uere talia, et distinguere potest ea ab apparenter talibus, sed ipsa quoque bona, tamquam fines intermedios et particulares, ad finem ultimum et principalem consequendum, per conuenientia media acquirere scit atque studet. Hinc et nemo, nisi prudens, felicem se reddere potest.

§. XI

Quod, si homo felicem se reddere cupit, aliorum hominum egeat auxilio, experientia edocti ceu euctum, adsumimus. Inde uero simul, consequens, ut quilibet non solum seipsam, sed alios quoque, et eos inprimis, quorum auxilium petit, felices reddendi studium fouere debeat, patet. Et hinc, uitae socialis necessitas, cuicunque prudenti, conspicua est.

§. XII

Vitae socialis necessitate in genere perspecta, porro, eius constitutionem et indolem respiciens, quicumque prudenter agit, animaduertit, unius uel paucorum hominum, societatem inter se constituentium, numerum, ad finem hunc ultimum obtinendum, haud sufficere; sed ut societates minores quoque socialiter uiuant, et societates ex simplicibus compositae erigantur, necessarium esse. Ex quibus tandem, una originem trahit societas, quae

quae uel ciuitatem, uel rempublicam, uel regnum aliasque formas constituit. Simples autem harum compositarum societatum, diuersos deinde, compositae unius, status efficiunt. His uero ad unum omnibus, et singulis cuiuscunque status membris communis esse debet finis ultimus; seu quilibet status ad reliquorum statuum, quodlibet unius status membrum ad reliquorum membrorum felicitatem, suam conferre debet.

§. XIII

Diuerfitas statuum et societatum, compositam eiusmodi societatem magnam, constituentium, simul quoque fines particulares efficit diuersos, diuersaque media, quibus tamen unus ille finis ultimus obtineri debet. Hinc quilibet status seu societas minor et simplex atque huius adeo quodlibet membrum, ad acquirendum sibi habitum, finium particularium cum ultimo, et illorum finium cum mediis suis, nexum, ipsorumque mediorem applicationem, perspicendi, ideoque ad prudentiam obligatur.

§. XIV

Hinc, ceu euietum, adsumere liceat, eam esse societatum humanarum conditionem, ut omnes, qua ratione deinde, si magnam et compositam societatem constituunt, ad communem et ultimum finem suum conferre debent, praescriptis regulis atque legibus, ad quas harmo-

harmonice quasi actiones commode possint componere,
et ita prudentiae directione egeant.

§. XV

Quamquam uero, diuersimode magna eiusmodi
societas dirigi potest, eminent tamen et frequentissimus
est dirigendi modus, ubi ex unius imperio reliqui pen-
dent, ita, ut ille directorem, hi autem dirigendos se
exhibeant; ille imperando, hi obediendo finem ulti-
mum et communem quaerant. Si haec est, magnae
eiusmodi et compositae societatis, facies, regni plerum-
que nomine uenit, ubi rex ille, qui dirigit et imperat,
uocatur, subiecti uero, uel subditi, qui diriguntur et
obediunt, dicuntur. Dicta tamen et de aliis, nomine
tantum diuersis, societatum imperii formis, ualent.

§. XVI

Quali et quanta rex praeditus necessario sit pruden-
tia, non solum ex iam dictis quodammodo constat, sed,
ut instituto propius accedamus, iam inprimis confi-
derandum nobis uenit. Si enim haud profecto sufficit,
scire tantum se regni esse rectorem legesque ex arbi-
trio, subditis ferre posse; sed cum ita potius illae com-
paratae esse debeant, ut unicuique statui et huius sin-
gulo membro, rationem prudenter societatique conue-
nienter agendi, ostendant, necesse est, ut rex, uniuscuius-
que, regni sui, status, conditionem cognitam habeat.

B

§. XVII

§. XVII

At vero si sex tantum istos status, quos utiles et necessarios ARISTOTELES (d) adfert, consideramus, statum scilicet, seu ordinem 1) eorum qui, ex agricultura, de victu regno prospiciunt, 2) opificum omnis generis, 3) militum, 4) diuicium, qui tempore necessitatis succurrere possunt, et sumtus largiri, 5) Sacerdotum et hominum religiosorum, 6) Denique senatum, magistratum et iudicum, quos diuersos ordines innuit citatus philosophus, quando adserit, quod *προς την αυταρκειαν*, in uita et societate ciuili, necessaria sint: *τροφη alimentum; τεχναι, artes; οπλα, arma; χρηματα, opes; επιμελεια περι τα θεια, religio; κρισις περι τε των δικαων, και τε των συμφεροντων, iudicium* cum de rebus iustis tum de utilibus; si, inquam, sex istos status et quae illi poscunt, si recte ordinari debent, negotia, reliqua enim, in primis et exotica, quae regi perficienda sunt, iam taceo, consideramus, credimus fore, ut quilibet facile concedat, unci hominis, prudentissimi quoque, prudentiam, ad tot tantaque negotia obeunda, ubi non solum horum, sed his etiam subordinatorum statuum conditionem penitus, intelligere et deinde dirigere debet, haud sufficere.

§. XVIII

Quid igitur regi cuidam, qui uirium suarum, insufficientiam, quamuis prudentissimus etiam sit homo, sentit,

(d) *Polit. Lib. VII.*

sentit; quid, si uerum est, quod, *princeps sua scientia, non possit cuncta complecti, nec quod unius mens tantae molis sit capax, faciendum erit? Nihil certe superest, nisi ut sapientum commercio utatur et adsumat, in partem curarum, alios. Cum enim pauca aliqua unus uideat, unus audiat, tunc multi erunt ipsi oculi et multae aures.*

§. XIX

Ita et haec, quae iam diximus §§. praec. testimonio suo confirmat, haud profecto mediocri prudentia politica imbutus, *PLVTARCHVS* (e) cuius uerba hic adponere iuuabit: *Τη μεν γαρ ευνοια, και κηδεμονια δει μηδενος αφεσαναι των κοινων, αλλα πασι προσεχειν και γνωσκειν εκασα, μηδε ωσπερ εν πλοιω, σκευος ιερον αποκεισθαι τας εχατας περιμενοντα χρειας της πολεως και τυχας· αλλ' ωσοι κωβερνηται τα μεν ταις χερσι δια αυτων πρατουςι, τα δε οργουμενοις στεροις δι' ετερων απωθεν καθημενοι, περιαγουσι και σρεφουσι, χρωνται δε και ναυταις και πωρευσι και κελευσαις, και τουτων ενιους ανακαλουμενοι πολλανις εις πρυμναν εγ-*

B 2

χει-

(e) in *Lib. praec. rei publ. gerendae*, uide. *Opera PLVTARCHI Tom. II, p. m. 812.*

χειρίζουσι το πηδαλιον. Ουτω τω πολιτικω προσ-
 ηκει παραχωρειν μεν εταιροις ανχειν και παρακα-
 λειωσαι προς το βημα μετ ευνοιας και Φιλανθρω-
 πιας, κινειν δε μη παντα της πολεως τοις αυτοι
 λογοις και ψηφισμασιν η πραξεσιν, αλλ' εχοντα
 πισους και αγαθους ανδρας, ειασον ειαση χρεια
 κατα το οικειον προσαρμοττεν. i. e. *Nam quod ad stu-
 dium et procuracionem attinet, nulla pars reipublicae civili ui-
 ro deferenda, curandae cognoscendaeque sunt omnes neque debet
 ueluti in navi sacra anchora, seipsum ad extremas ciuitatis ne-
 cessitates ac casus reservare. Sed, quemadmodum gubernator
 nauis alia suis ipse peragit manibus, alia instrumentis ac ma-
 nibus aliorum eminus ipse sedens, uersat, utiturque nautis, pro-
 retis, et remigum magistris, quorum nonnullis interdum in
 puppim euocatis clauum tradit: Sic civilis uiri est officium, ut
 aliis quoque imperium concedat, eosque benigne ad tribunal in-
 uiret, naque omnes ciuitatis res suis unius orationibus, decre-
 tis, atque actionibus administret, sed fidos habeat bonosque ui-
 ros, quorum unumquemque peculiari alicui negotio accommodet
 tractando.*

§. XX

Sunt enim uel inter ipsos subditos, quorum alter
 huius, alter illius status conditionem perspectam sibi
 red-

reddere, curavit. Eiusmodi homines in consilium uocare et hac ratione finem suum omnino obtinere potest rex.

§. XXI

Quam uero, in eiusmodi consiliariis eligendis, prudentiam pariter adhibere debeat rex, uel inde patet. Quia multi quidem inueniuntur, qui plura perspicunt, quam alii, quibus uero animus, ea, cum aliis, communicandi, deest. Quam ob rem, non incaute LIPSIUS, (f) consiliariorum maxime necessarias uirtutes recensens, primo loco ponit fidelitatem. *Appello inquit consiliarios, qui fidi, rerum hominumque periti, salutaria suggerunt, pace siue bello.* Vti in dando igitur consilio fides requiritur, ita in consilio capiendo etiam prudentia.

§. XXII

Eiusmodi uero consiliariorum fidorem, si rex utitur salutaribus consiliis, talem profecto se exhibet, ut sibi dicta censeat illa, quae Neroni, quo semper cogitationibus obuersentur, iniungit SENECA, (g) cuius uerba, more christiano mutata, auctor quidam ita exhibet:

B 3

bet:

(f) l. c. Cap. IV.

(g) Lib. I, de Clem. Cap. I.

bet: ^(h) *Ego ex tot mortalibus placui, qui Dei uice in terris fungerer, qui illustre maiestatis diuinae instar, tamquam salutare populis sidus, circumferrem, mihi summae rei ordinandae facultas commissa est, meum munus caelum amat ornatque, angeli tuentur, homines uenerantur. Prouindendum est ergo, ne quid uirtute et fastigio principali indignum in moribus, in propositis meis conspiciatur, ne fortunam auspicio meo destinatam uel male consulendo fatigem, uel ignaue cessando destituam. Quod autem se talem omnino gerere debeat, hocque ipsum non alia, nisi in antecedentibus allata, ratione, fieri posse, constat.*

§. XXIII

Tantum enim adest, ut indignum quid regia maiestate committat, si consiliariorum, qui, fortunae magis ipsius atque regni, quam propriae, habent rationem, consilia exsequitur, uti pseudopolitici, sola ut et coactione subditos dirigendos, in obedientia retinendos, et inobedientes reuocandos esse suadentes, temere adferunt, ut potius ille per id ipsum maiestatis regiae splendo-

(h) uid. Polit. Staatsgarten Disc. VII, pag. 260.

dorem non seruet solum, sed, dum, in mediis, ad finem consequendum, eligendis et adhibendis, prudentem se exhibet, insigniter augeat. Contra uero ea, si de sua sententia omnia gerit, superbus iudicandus est magis, quam sapiens. (i) Immo, *maius illum iudicium bonae mentis ostendere non potest princeps, quam si eligat, et iis familiariter utatur, uiros uirtute et fama celebres; nam omnes statim iudicabunt, ralem esse principem, quales sunt eorum mores, quorum familiaritate ipsum implicarum animaduertunt.*

§. XXIV

Et si profecto, huius rei, testimoniis pariter ac exemplis, prudentissimorum principum, inest aliqua probandi uel illustrandi saltem uis; historiam adeamus omnium temporum, omne aeuum uideamus, et raro eminentes uiros, non magnis adiutoribus, ad gubernandam fortunam suam, usos, reperiemus. Quid? quod comperiemus, omnia regna, ciuitates, nationes, usque eo prosperum imperium habuisse, dum, apud eos, uera consilia, ualuerunt. Vbi-
cunque gratia, timor, uoluptas, ea corrumpere, post paullo im-
minu-

(i) LIV. XLIV.

*minutae opes, deinde ademptum imperium, postremo seruitus
imposita est.*

§. XXV

Quae cum ita sint, ut non solum indignum quid
sua maiestate rex prudens, si prudentum utitur con-
siliis, haud committat, sed simul, hac ratione, maiesta-
tis splendorem augeat; cumque adeo negotiorum ipsius
moles tanta sit, ut eius, immo uniuscuiusque, pru-
dentissimi licet hominis, humeri, illam ferre, prorsus
recusent: facile colligi potest, quod sit duplicis pru-
dentiae, cuius mentio facta est, qua rex quilibet
suum regnum administrat, optimus ne-
cessariusque nexus.

TANTVM.



Wittenberg, Diss, 1748/49


ULB Halle
003 345 947



3

TH → a





1748 15

COMMENTATIONEM ACADEMICAM
DE
DVPLICIS PRVDENTIAE
QVA REGNUM ADMINISTRATVR
OPTIMO NECESSARIOQVE
N E X V

ERVDITORVM EXAMINI
AD DIEM SEPTEMBR. A. R. S. M DCC XXXVIII
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO
SVMITTUNT
P R A E S E S
M. IO. CHRISTIAN. SONNTAG
GLAVCHA - SCHOENEVRG.
ET
RESPONDENS
IO. HENRICVS OSWALD
BVDISSA - LVSAT.

V I T E M B E R G A E
EXCVDEBAT IO. CHRISTOPH. TZSCHIEDRICHVS